

394 *Copia de' capitoli di la pace, tra il serenissimo re di Hongaria e il signor turco, venuti in lettere di oratori nostri in Hongaria, date a dì 22 fevver 1502.*

Nos, Wladislaus, Dei gratia rex Hungariæ et Bohemiæ etc., notum facimus quibus expedit, universis præsentibus litteras nostras patentes visuris et audituris, quod quamvis illa pax et amicitia atque fraternitas, quæ inter nos et serenissimum ac potentissimum principem, dominum Amyr zultam Bajazith, turcarum cæsarem multorumque aliorum regnorum et terrarum dominum etc. regnaque et terras atque dominia utriusque nostrum aliquandiu erat, rebus sic exigentibus per hæc tempora intermissa fuerit ad apertumque bellum atque hostilitates de venerimus, tamen ex quo præfactus turcarum imperator optavit, ut rursus cum eodem ac terris et dominiis suis, sicuti prius pacem et amicitiam miremus, ac invicem in bona quiete et vicinitate viveremus, nos sicuti antea, ita et nunc ejusdem cæsareæ majestatis pacem, amicitiam et fraternitatem non aspernendum duximus, et cum majestate sua ad hos infrascriptos articulos pacis et treugarum in nomine maximi Dei devenimus.

In primis, quod nos, rex Hungariæ, facimus et firmamus cum præfato serenissimo imperatore turcarum, pro nobis et universis principibus, regibus et potentatibus christianis proque illustrissimo Dominio venetorum, similiter confederatis nostris, et ipsa universa christianitate terrisque ac regnis et dominiis nostris et eorundem regum, principum et potentatum ipsiusque illustrissimi Domini venetorum et universæ christianitatis firmam pacem et amicitiam, itaque amodo deinceps sit inter nos et ipsos universos principes, reges et potentatus christianos idemque illustrissimum Dominium venetorum et universam christianitatem ab una, atque prædictum imperatorem turcarum ac sibi qualicumque amicitia adherentes et confederatos ab altera parte, regnaque ac terras, insulas et dominia utriusque partis, firma ac vera pax et amicitia, duratura per septem integros annos, incipientes ab ea die qua hic cum oratore ejusdem imperatoris turcarum pacem
394 istam concludemus, et in qua jurabimus, ita vice quod, si infra dictos septem annos ipsi turcarum imperatori mori contingeret, etiam ista pax finita et terminata intelligatur. Si vero Deus vitam majestatis suæ prolongaverit, prout prolongare potest, et infra dictum tempus non morietur, tum duret

ista pax usque ad dictos integros septem annos. Si vero nos Wladislaum regem infra hujusmodi septem annos, quod Deus avertat, aut etiam quemcumque alium ex dictis principibus, regibus et potentatibus christianis, vel ipsum illustrissimum dominum duces Venetiarum, emori contingeret, nihilominus inter cæsaream majestatem ac inter nostros successores, reges Hungariæ, ac præfactos reges, principes et potentatus hanc pacem modo infrascripto ratificatos, et superviventes ipsumque illustrissimum Dominium venetorum universamque christianitatem ac nostra et eorundem ac ejusdem illustrissimi Domini regna, terras, subditos et dominia per hos septem annos. Si mors ipsius cæsareæ majestatis non sequetur, pax ista inviolabiliter durare et permanere debeat; si vero mors ipsius sequetur, pax ista post mortem ejusdem finita et expirata intelligatur.

Item, quod ista pax sit pro nobis atque regnis nostris, signanter Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiae, Slavoniæ etc., ac marchionatu Moraviæ, et ducatu utriusque Slesiae et Lusaciæ, nostris regnis Moldaviæ et transalpinensi, cum vayvodis ipsorum Karabogdam et Radul ipsorumque filiis et hæredibus. Item, partibus transernensibus et regno Bozue, cum castro Jayza, et aliis castris, ac partibus ad illud pertinentibus. Item, castris Belgrad sive Nandor, Alba et Zenderu, cum suis pertinentiis et aliis castris nostris finitimis. Præterea civitate nostra Dalmatiæ, Ragusii, cum civitatibus, castris, terris et pertinentiis suis ac universa insula et toto dominio suo aliisque omnibus dominiis et subditis nostris quaecumque appellatis et ubicumque constitutis et existentibus.

Similiter fiat et sit ista pax pro universali statu sanctæ romanæ ecclesiæ, nec non regibus et principibus ac potentatibus prædictis, videlicet romanorum, Franciæ, Hispaniarum, Angliæ, Portugalliæ, Poloniæ regibus, item pro dicto illustrissimo domino
395 Leonardo Lauredano, duce, et ipso Dominio Venetiarum, nec non tota Italia et regno neapolitano, et insula Siciliæ, ac magno magistro Rhodi et insula Chyy, cæterisque principibus et potentatibus christianis, ipsaque universa christianitate, ac cunctis ipsorum regnis, terris, dominiis, castris, civitatibus, portibus, villis et aliis quibuscumque locis eisdem mediate sive immediate subiectis, ipsorumque statibus, ducibus, vicariis, feudatariis, gubernatoribus et vassallis et quibuscumque ipsorum subditis, ita quod ipse universalis status sanctæ romanæ ecclesiæ atque omnes principes et potentatus christiani, et inter alios dictum illustrissimum Dominium vene-